



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

47. Dionysivs Episcopvs Alexandrinus ad Philemonem presbyterum
Romanum, de legendis libris Hæreticorum. Euseb. capit. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Ist Libycos inter sanctos hæc questio mota,
Romanosq; patres exagitata diu.*

*Hæreticos vtrum sit opus, quos pœnitet ipsos
Erroris, rursus tingere fonte sacro.*

*Quod statuit primum martyr Cyprianus & Aphri,
Doctrina patres conspicuiq; fide.*

*Romanus contra præsul Cornelius Aphros,
Maiorum dicit sat retinere modum est.*

*Quem tali nobis liquerunt lege notatum,
Aeternæ digni laudis honore viri.*

*Hæreticos, qui praua negant, & recta fatentur,
Imposita mudent signa probata manu.*

47. DIONYSIVS EPISCOPVS

Alexandrinus ad Philemonem presby-
terum Romanum, de legendis
libris Hæreticorum, Eu-
seb. capit. 6.

EGo tractatus hæreticorum lego, & tra-
ditiones eorum perscrutor, vt ex ipso-
rum verbis arguere eos possim, & vera
à falsis discernam, iuxta Apostolum: Omnia
legite, quæ bona sunt, tenete.

1. Thel. 5.

*Regis alexandri præsul Dionysius vrbis,
Talia de scriptis rettulit hæreticis.*

*Hæreticorum ego scripta lego scrutorq; libenter,
Omnia quæ tradunt præcipiuntq; suis.*

D 5

*Arguere, vt proprio victos sermone, rebelles,
Noscere & a falsis dogmata vera queam.
Cuncta, ait afflatus diuino numine Paulus,
Noscite, quod fuerit, ritè tenete, bonum.*

1. Theff. 5.

48. DE MARINO MILITE HIEROSOLYMITANO, qui delatus ex inuidia à collega, quòd Christianus esset, quem se confessus erat coram iudice, & confirmatus ab Episcopo Theotecnno, capitis damnatus est.

Capite 12.

*Miles erat Solymæ, clarus Marinus, in vrbe
Cæsarea, & meritis auctus honore suis.
Inuidet huic meritum collega malignus honorem,
Inuidia est nullum maius in vrbe malum.
Clamat, hic est tanto miles non dignus honore,
Nanq; suum Christo nomen & ipse dedit.
Hic, vbi Christicolam clara se voce fatetur,
Intrepidè tenuit iudicis atq; minas,
Tres statuit iudex horas, vt dicat in illis,
Cæsaris, an Christi numina sancta colat.
Iudicis à solio ducit Theotecnus in eadem
Marinum, sanctus præsul in vrbe, pium.
Confirmat multis animum dubitantis, & auget,
Ne timeat trepidus, verbera, flagra, necem.*

Postea